


PAVLVS

PP. V.

harissimè in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem: Orthodoxæ fidei conseruandæ, & propagandæ zelus, ac singularis in Apostolicam Sedem deuotio, aliæque Catholici cognominè optimo iure insigniti Regis præclara merita, quæ in Maiestate tua caelesti gratia respiciendæ, planè exigunt vt subsidia pro eiusdem fidei defensione à tuis subditis promptè tibi oblata, quantum cum Domino possumus adiuuemus. Cum itaque sicut accepimus subditi Regnorum tuæ Coronæ Castellæ in nouissimis comitijs, siue curijs habitis, animaduertentes Maiestatem tuam pro eiusdem Religionis defensione, & obedientiæ erga sanctam Romanam Ecclesiam conseruatione in tuis, & exeris ditionibus, & Regnis grauissimis assidue sumptibus urgeri; tuaque araria penè exhausta: ita vt nisi aliquo eorundem subditorum extraordinario subsidio subleueris, eisdem sumptus in tam laudabilem Deo gratam, & Reipublicæ Christianæ vtilem causam conuertendam diutius ferre difficilè possis: quædam superadditionalia nuncupata seruitia, siue subsidia, quæ in totum summam decem & octo millionum nummorum aureorum, conficere debeant ex Gabella sifæ nuncupata, super vino, musto, aceto, aquato, oleo, & carnibus in dictis Regnis colligenda, & consumenda, imponenda, non solum per ementes, & vendentes soluenda, sed etiam per eos qui percipiunt oleum, & vinum ex proprijs terrenis, aut affictibus, aut emunt in vrbis, aut oliuis, seu colligunt pro decimis, aut etiam dono accipient, seu alias ex quouis alio reddito, & introitu habent, & consumunt præstare promptè obtulerint, omnesque laici cuiuscumque gradus status conditionis, & præminentia ad eadem subsidia contribuere, & Gabellam soluere debeant, neque vllas immunitas futurus sit, aut exemptus, tuaque Maiestas nobis hæc significauerit. Nos promptam, & deuotam eorundem Regnorum, & subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro Catholica Religione conferre intendunt commendantes, quia sicut etiam accepimus, si tantummodo laici ad subsidia huiusmodi contributorent, & Gabellam, seu sifam prædictam soluerent, nimis longo tempore summa prædicta conficeretur, & laicorum facultates ad summam huiusmodi decem & octo millionum, vt præfertur aliter conficere, minimè stipperunt; eadem subsidia per Ecclesiasticas personas adiuuant. vt infra sequitur, existimauimus. Motu igitur proprio, & ex certa scientia, ac maturâ deliberatione nostris, & de Apostolica potestatis plenitudine omnes, & singulas Ecclesiasticas personas, tam seculares quam cuiuscumque ordinis

11
dinis etiam exempti, & Apostolicæ Sedi immediatè subiecti regulares, necnon Monasteria vtriusque sexus, Conuentus & Collegia, ac Ecclesiarum Capitula Regnorum Castellæ prædictorum, ac in eisdem Regnis commorantia, & consistentia, ad conferendum, & contribuendum proportionaliter, & non alias, prout laici in dictis subsidijs mediantè solutione Gabellæ, seu sise, eorundem subsidijs causa, super vino, multo, aceto, aquato, oleo, & carnibus in prædictis Regnis colligendis, & consumendis imponendis, seu forsam impositæ duran. tamen sexennio proximo prætaxat, & non ultra teneri, & obligatos esse, non tamen quoad prædictas rerum species, quas ex proprijs terrenis, seu decimis, aut alijs quibuscumque redditibus proprijs per se, vel alios etiam affectuarios suos, vel etiam ex elemosynis percipiunt, & prædi. uino cultæ, ac proprijs, & familiarum suarum vsibus consumunt, pro quibus omnino immanes, & exempti sint, decernimus, & declaramus, ita tamen, quòd si ante sexenij huiusmodi finem prædicta summa decem & octo millionum, numerorum aureorum confecta fuerit, Ecclesiastici prædicti amplius contribuere, & dictam Gabellam, seu sissam, vt præfertur solvere non debeant, ac præsens gratia eo ipso expiret. Decernentes, quòd omnes, & singuli Ecclesiastici prædicti recusantes opportunis iuris, & facti remedijs, adhibita tamen ordinariorum Ecclesiasticorum locorum autoritate, non autem per exactores eiusdem Gabellæ, seu sise, neque per quoscumque iudices, aut ministros seculares, aut eorum eisdem iudicibus, & ministris secularibus, sub poena excommunicationis maioris, necnon alijs pœnis à sacris Canonibus, & constitutionibus Apostolicis inflictis, & comminatis ipso facto incurtendis, conueniri nullo modo debeant, sed coram prædictis Ordinarijs Ecclesiasticis tantùm compelli valeant, quibus Ordinarijs districtè precipiendo mandamus, vt diuini iudicij memores, ne Ecclesiastici indebitè, & plusquam laici, nec ultra continentiam nostrarum literarum grauentur: super quo eorundem etiam Ordinariorum conscientiam oneramus omnino provideant, & contra eosdem Ecclesiasticos recusantes, & regulares, & exemptos, ac nobis, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectos, ad quacumque simplicem eorundem exactorum requisitionem executiue, quacumque appellacione remota, autoritate nostra procedant. Volumus autem, vt pecuniæ ex prædictis subsidijs, & Gabellæ, seu sise, vt præfertur à dictis Ecclesiasticis percipienda, in alios vsus, quam Catholicæ Religionis defensionis, & obedientiæ conseruationis erga Romanam Ecclesiam, pro quibus vt præfertur contribuuntur, nullatenus conuertantur, non obstantibus Regnorum prædictorum statutis, & consuetudinibus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam in quibusuis Generalibus Concilijs editis, Priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, Regnis, personis, Capitulis, Monasterijs, Conuentibus, Collegijs, & alijs prædictis, sub quibuscumque tenoribus, & formis; ac cum quibusuis etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs

alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficenti derogatione de illis eorumque totis tenore specialis specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore huiusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum infertis habentes, illis alijs in suo robore permanfuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Ut autem præsentis nostræ literæ cum opus fuerit ad omnium notitiam facilius, deuenire possint decernimus, vt earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, sub annulo piscatoris, die viij. Augusti M. DC. XVIIII. Pontificatus nostri Anno decimoquarto.

S. Card. S. Sufani.

The following is a list of the
 names of the persons who
 were present at the
 meeting of the
 committee on
 the 10th of
 the month of
 the year 1850.

LIST OF MEMBERS